

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1252

Auteur(s) : Odon II de Lorris, Bayeux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1264, 24 décembre

Lieu d'émission : Bayeux

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Odon II de Lorris, évêque de Bayeux, fait un règlement entre le chapitre et les archidiaques touchant la juridiction épiscopale, le siège vacant : les choses dont le chapitre et les archidiaques doivent connaître, et celles dont il est à propos qu'ils s'abstiennent, ainsi que le rôle de l'official, sont nettement déterminés.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCLXXVI, t. 2, p. 209-213.

Texte établi d'après a

In nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Nos, Odo, divina permissione Baiocensis ecclesiae minister humilis, paci et tranquillitati ecclesiae Baiocensis volentes in posterum providere, ut omnis inter capitulum et archidiaconos Baiocenses, sede Baiocensi vacante, contentionis seu discordiae materia amputetur, super jurisdictione et potestate episcopali, vacante sede Baiocensi, ad quem illa jurisdictio et potestas competant et competere debeant in vacationibus affuturis, et super omnibus de quibus in nos inter dictos capitulum et archidiaconos extitit compromissum secundum formam litterarum super hoc confectarum, pronunciamus, statuimus, et ordinamus ea quae sunt inferius annotata. In primis, pronunciamus, statuimus, et etiam ordinamus quod, sede Baiocensi vacante, unus ex canonicis Baiocensibus creabitur officialis capituli, in capitulo canonicis ipsius ecclesiae praesentibus, tam archidiaconis quam aliis qui in creatione ipsius officialis voluerint interesse. Creatus siquidem officialis in primis jurabit in capitulo, praesentibus archidiaconis, si voluerint interesse, quod officium sibi commissum fideliter exercebit, et, quamdiu in officio erit, nemini scienter inferet injuriam, per se vel per alium, seu jacturam. Immo, jus cujuslibet, prout melius poterit, diligenter et fideliter conservabit, nec jus archidiaconorum vel aliorum scienter, per se vel per alium, usurpabit. Iste vero officialis sic creatus habebit jurisdictionem in dyocesi Baiocensi, et cognoscet, et poterit cognoscere de causis inter subditos cujuslibet archidiaconi, quae sponte deferentur ad ipsum : videlicet, quicumque conquerens voluerit exponere querimoniam coram ipso, nec poterit actorem a principio compellere ut litiget coram eo, nec archidiaconi poterunt inhibere alicui quin litiget coram officiali praedicto, nisi causa cepta fuerit coram aliquo eorumdem. Tunc enim non poterunt partes recedere ab auditorio archidiaconorum praedictorum, nisi per appellationem vel aliam justam causam. Officialis autem capituli non poterit exire ad audiendas causas, extra Baiocas, vel extra locum ubi erit capitulum, nisi solummodo Cadomum ubi poterit, si voluerit, ea quae jurisdictionis sunt exercere. Diebus vero, quibus officialis capituli apud Cadomum cognoscet de causis archidiaconi Cadomensis, jurisdictionem aliquam non exercebit

ibidem. Ordinamus etiam quod archidiaconi poterunt audire et terminare, quilibet in archidiaconatu suo, omnes causas quæ ad ipsos delatæ fuerint, etiam illas de quibus non possunt cognoscere, episcopo præsidente. Quæ causæ tales sunt : causæ scilicet matrimonii, de clerico vel religioso verberato, cimisterio infracto, et quolibet sacrilegio, et de catallis mortuorum. Excommunicatos siquidem ab archidiaconis faciet idem officialis capituli justiciari, ad petitionem archidiaconorum, cum eorum litteris causam excommunicationis continentibus, per ballivum et servientes domini Regis, secundum quod fieri consuevit ; ab ipsis autem archidiaconis poterit ad dictum officialem capituli appellari, et, si invenerit appellationem legitimam, eam recipiet et cognoscat ; si vero invenerit illegitimam, eam remittet ad eorundem archidiaconorum examen. Iterum capitulum providebit dicto officiali de sigillo in competentibus causis, inspectis qualitate et aliis circumstantiis ; ejusdem officialis, residuum vero sigilli, et alia explectamenta, deductis expensis necessariis quæ fient circa ea quæ pertinent ad dictum officium, idem capitulum futuro episcopo reservabit. De deportationibus autem ordinamus quod, sede vacante, capitulum eas recipiat, et medietatem earum, propter majorem laborem quem tunc sustinebunt archidiaconi, eidem archidiaconis integram restituat in dilato (?), alia medietate futuro episcopo per ipsum capitulum reservanda. Duas siquidem partes citatæ (?) et synodatici futuro episcopo dictum capitulum fideliter reservabit, tertia parte ipsis archidiaconis in suis archidiaconatibus distributa. Synodus vero per capitulum et archidiaconos fiet de cetero communiter in ecclesia Baiocensi. Bona intestatorum per capitulum recipientur, et duæ partes distribuentur pauperibus per manus ipsius capituli, et tertia pars per archidiaconos suprascriptos. Quando vero novus episcopus creatus fuerit, si aliquid de bonis prædictis remanserit quod per manus capituli non fuerit pauperibus erogatum, tradetur episcopo creato, per manus ejusdem pauperibus erogandum. Ordinamus etiam quod, vacante sede Baiocensi, patroni ecclesiarum, de quibus erit certum quod sint patroni, præsentabunt personas, quas viderint præsentandas, archidiaconis in quorum archidiaconatibus ecclesiæ erunt sitæ. Et illa præsentatio, quam fecerint, quantum ad præsentantes solummodo valebit ac si episcopo esset facta. Ipsi vero archidiaconi, prout viderint expedire, examinantur personas sic præsentatas, et recipient ad ecclesias, et tradent eis curam animarum, tantummodo commendatam usque ad adventum pontificis affuturi. Adveniente autem pontifice, non obstantibus hiis quæ facta erunt ab archidiaconis, examinatur personas, si voluerit, et eis curam animarum tradet, et faciet omnia ac si nichil ab archidiaconis esset factum, et tanquam essent clerici noviter episcopo præsentati. Verumptamen, præsentatio, facta archidiaconis, erit rata quantum ad præsentantes tantummodo, ac si episcopo esset facta ; sed alia, facta ab archidiaconis, non erit rata nisi episcopus voluerit consentire. Hoc autem intelligimus non de illis ecclesiis, quas conferre possunt episcopi suo jure, et quæ pertinent seu pertinebunt ad collationem ipsorum : de illis enim dicimus et ordinamus quod nichil possunt nec poterunt archidiaconi ordinare, nec aliquem instituere, nec aliquod jus habere, etiam sede vacante, nec alias. Ordinamus etiam quod ecclesiæ, quæ per lapsum temporis ad collationem prælatorum devolventur, sede vacante, futuro episcopo reserventur. Archidiaconi siquidem, in quorum archidiaconatibus erunt sitæ dictæ ecclesiæ, facient in illis, vacante sede, per personas ydoneas deserviri. Statuimus etiam et ordinamus quod, sede vacante, nulla persona præsentetur ad primam tonsuram recipiendam per capitulum vel archidiaconum, cum ex hujusmodi præsentatione multa dicuntur retro pericula provenisse. Et hoc intendimus, nisi præsentandus absque mora sit beneficium ecclesiasticum habiturus, vel religionem ingressus, vel ingressurus. Beneficiatos vero in dyocesi Baiocensi poterunt tam capitulum quam archidiaconi vicinis episcopis ad Ordines præsentare. De crismate autem ordinamus ut per capitulum et archidiaconos a vicinis episcopis postuletur, et affertur tempestive, ad sumptus consuetos, ad ecclesiam Baiocensem ; et tunc distribuetur per capitulum et archidiaconos, prout viderint expedire. Per hæc vero, quæ ordinavimus de cognitione causarum quas audient archidiaconi, sede vacante, in suis archidiaconatibus, non intendimus quod eadem habeant jurisdictionem in eisdem archidiaconatibus, episcopo præsidente, nisi tantummodo tempore quo visitabunt, et tunc etiam non in omnibus causis, scilicet matrimonii et aliis suprascriptis ; nec tunc etiam intendimus quod possint, nisi in propriis personis, cognoscere. Hæc autem omnia et singula, prout expressa sunt superius, statuimus et præcipimus in perpetuum firmiter observari. In cuius rei memoriam, præsentibus litteris sigillo nostro fecimus communiri. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, in vigilia Nativitatis Domini, in capitulo Baiocensi.